

fuisse, satis constat; nec ferme res antiqua alia est nobilior: tamen in re tam clara nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curiati fuerint. Auctores utroque trahunt; plures tamen invenio, qui Romanos Horatios vocent. Hos ut seuar, inclinat animus. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro: imperium fore, unde victoria fuerit. Nihil recusatur: tempus et locus convenit. Priusquam dimicarent, foedus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut, cūjusque populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Foedera alia aliis legibus, ceterum eodem modo omnia, fiunt. Tum ita factum accepimus, nec ullius vetustior foederis memoria est. Fetialis regem Tullum ita rogavit: «Jubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani foedus ferire.» Jubente rege, *Sagmina*, inquit, *te, rex, posco*. Rex ait, *Puram tollito*. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit; postea regem ita rogavit: *Rex, facisne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? vasa, comitesque meos?* Rex respondit: *Quod sine fraude mea populique Romani Quiritum fiat, facio*. Fetialis erat M. Valerius: patrem patratum Sp. Fusium fecit, verbena caput capillosque tangens. Pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum sit foedus; multisque id verbis, quae longo effata carmine non operae est referre, peragit. Legibus deinde recitatis: *Audi, inquit, Jupiter; audi, pater patrate populi Albani; audi tu, populus Albanus; ut illa palam, prima, postrema, ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet.* Si prior defecerit publico consilio, dolo malo; *tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque.* Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Sua item carmina Albani suumque jusjurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt.